



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Bono Sodalitatis Partheniæ, Et Officiis Sodalium Erga Deiparam Patronam

Bourgeois, Jean

Antverpiæ, 1622

Cap. 11. De vespertino examine conscientia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48699](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48699)

dam. quasi nos de cruce Saluator con-
 tuens impensius Matri in Ioanne disci-
 pulo commendaret, nosque illa in suam
 fidem maternamque curam & prouidē-
 tiam benignè reciperet: quasi cum Mag-
 dalena crucem amplexi, tum Saluato-
 ris extremas preces ac voces, tum Matris
 adiunctas diuino eius cruori lacrymas,
 æterno Patri offerremus. ne frustra sit
 diuinus ille cruor effusus, frustra tot sus-
 cepti cruciatus, frustra mors dirissima
 crucis obita, spectate desolatissima Ma-
 tre; sed ab ea placatus & exoratus huius,
 quam quotidiana Missæ repetit oblaro,
 cruentæ oblationis vnigeniti filij sui
 copiosum in animam nostram fructum
 deriuet. Amen.

CAPVT XI.

De vespertino Examine conscientie.

VNum de præstantissimis Deiparæ
 priuilegijs illud est, quod de ea te-
 net Ecclesia, inquit Tridentinum; in to-
 ta vita peccata omnia, etiam venialia, vi-

*Sess. 6.
 can. 23.*

P ; tauis-

tauisse; quod priuilegium nulla satis vnquam digna laude celebrari potest. Ex quo consequens illud est, quod de ea tradit Galatinus, & rationi consonum ducit Canis. Deiparam vsque adeò modestiam coluisse, vt eius oculi nihil vnquam inhonesti, nihil illiciti adspexerint; immò vt oculos nunquam eleuarit, quod cæteri consueuerunt homines, sed humi semper defixos tenuerit, nisi cum Deum oraret; eoque spiritu prophetiæ donatam fuisse, vt, si fortè quid inconcessum vel illicitum esset auditura vel visura, illico aures vel oculi clauderentur, ita vt non nisi Deo deseruire videretur. Certè nullam vnquam nec oculis, nec auribus, nec alio sensu minimæ etiam culpæ plagam accepisse certissimum est: nunquam per eas fenestras mors aditum habuit, in quibus gratiæ vita domicilium collocarat. Illud quoque mirum iam nemini videbitur, quod ex Alberto Magno tradit Antonin. quouis tempore Deiparam semper pro meritam fuisse, & gratiæ maiora incrementa cepisse, cum nunquam foret otiosa, sed continen-

*Lib. 7. de
can Ca-
thol. c. 5.
Lib. 1 de
B. Virg. c. 13*

*4. p. tit. 15.
c. 20. §. 6.
c. 4. §. 8.*

nenter quàm maxima posset contentio-
 ne charitatis in Deum raperetur. Id
 quod ex S. Odilone idem S. Antonin.
 affert. Vnum pro certo scimus, quòd o-
 mnis Mariæ & actio & intentio semper
 fuit intenta in Deo, semper ad Deum
 directa; cum actione coniuncta mentis
 contemplatio, vt ne somno quidem &
 quiete corporis interromperetur, vt ex *Cant. 5. 2.*
 illo Cantic. colligunt: *Ego dormio, & cor*
meum vigilat. Dormire non priùs cupidi- *Ambros.*
 tas quàm necessitas fuit, sed & tum cum
 quiesceret corpus, vigilabat animus, qui
 frequenter in somnis aut lecta repetit,
 aut somno interrupta continuat, aut dis-
 posita gerit, aut gerenda pronuntiat.
 Si de hominibus in felici statu innocen- *Lib. 5. cont.*
 tiæ agentibus vera est D. August. senten- *Iul. c. 9.*
 tia, tam felicia futura fuisse somnia dor-
 mientium, quàm esset vita vigilantium;
 nihil alienum à B. Virginis moderatissi-
 ma corporis quiete, si tum animus vigi-
 laret, & Deo vacaret, existimari debet.
 Numquam igitur illa debuit in peccato-
 rum examinatione ac discussione versari,
 sed in iugi gratiarum actione: nos qui ab

348 DE OFFIC. SODAL. PARTH.
cuius vigilia & somni felicitate absumus
longissimè, qui aduersus Deum ingrati,
quo pluribus in dies beneficiis ab eo ob-
stringimur, eo plura ferè peccata cumu-
lamus; qui neque diem, neque noctè in-
nocenter, & ad eius gloriam, vti oport-
uerat, sanctè transigimus; ad extremum
certè diei, si meridie non patiuntur oc-
cupationes, receptui canere, nosque col-
ligere, & priusquam corporis indulgea-
mus quieti, tempus aliquod precationi
& conscientiaè discutiendæ tribuere
conuenit; quod Sodalitatis lege VII.
præcipitur. Duo illa, quorum cumulus
quotidie crescit, exsoluenda sunt debi-
torum genera: beneficiorum, & pecca-
torum. de prioribus, quæ tam benignè ac
largiter in nos effundere non cessat di-
uina clementia, agenda sunt gratia: de
posterioribus, quæ nos ingrati reponi-
mus, mala pro bonis, postulanda venia
& indulgentia. Equissimum fuerat, vt
tot Dei beneficiorum, naturæ & gratia,
creationis & redemptionis, ex animis
nostris recordatio numquam abscede-
ret, interdum certè sæpè recurreret. Quod
si

si sæculi curæ & cogitationes inhibuerunt, decurso ad extremum die gratissimo recogitanda sunt animo, & simul ea quæ eo ipso die recentia diuinitus acceperimus, conseruationis, sustentationis, Sacramentorum, diuinarum inspirationum, piarum occupationum, &c. adijcienda. Tum quid etiã diei decursu peccatum sit, cogitatione, sermone, opere, omissione, diligentius inquirendum, exposcendæ rationes à conscientia cogitationum, dictorum, factorum, ac prætermissorum omnium, & quo par est pœnitentiæ concepto dolore supplex à Deo venia postulanda. Quæ deploranda est infelicitas nostra, diem nunquam, horam rarò, seriam vllam actionem absque intermixta culpa vix superamus atque euadimus. Ipsæ iustitiæ nostræ sunt tamquam pannus menstruatus, fomes ille prauæ concupiscentiæ omnium origo malorum reprimi vtcumque potest ac coërceri, at extingui minimè radicitusq; conuelli. Et quoniam, inquit S. Augustinus, tentatio est vita hominis super terram, etsi à criminibus longè sumus, non

in psal. 118.
5.3.

Hom. 42.
450.

Hom. 2. in
ps. 50.

Psal. 4.5.

deest tamen, ubi desiderijs peccati vel facti, vel dicti, vel cogitatu obediamus, quando aduersus maiora vigilantibus, quædam incautis minuta subreunt. Quare, quod monet alio loco, quoniam insudat aqua per angustas rimulas nauiculæ nostræ, ne impleatur sentina, & cymba mergatur, non cesserit à nautis, ambulent manus, & quotidie quod nautæ faciunt exhauriantur sentinæ. Exhauritur conscientiæ sentina diligenti hoc examine, de quo idem S. Doctor; Ascendat homo aduersum se tribunal mentis suæ, & constituto in corde suo iudicio adsit accusatrix conscientia, carnifex timor. De eodem S. Chrysostomus; Habeto codicem cōscientiam tuā, & scribe quotidiana peccata; antequam veniat somnus, reminiscere peccata tua, si quid in verbo, seu facti, vel in cogitatione peccasti. Hoc enim dicit Propheta: *Quæ dicitis in cordibus vestris, & in cubilibus cōpungimini.* Dico in corde tuo, & in anima tua: Expēdimus diē, ô anima, quid boni fecimus, aut quid mali operati sumus? Et si quid boni fecisti, gratias age; si quid

quid mali, de cætero ne facias iudiciũ tibi metipſi facito terribile, leuiorẽ præpara confessionem, cogitatum tuorũ, hoc est erratorum, abs te pœnam exige, & ad futuram exhomologesiu te compara, anteuerte pœnitentiam, quæ tibi est imponenda, tum vt aduertas, quæ sit origo radixque peccatorum, ex qua tua proueniant propensione vitiata. Suspendito, ait idem D. Chrysoſtomus, cogitationes tuas in equũleo, vt nihil te lateat interiorum animi tui motuum, quando nemo debet eſſe teipſo tibi amicior, cùm reuera nemo ſit inimicior, nemo proinde, cùm tempus eſt clementiæ, ſeuerior iudex, vt Dei iudicium extremum illud, cui cedit miſericordia, totumque vindicabit iuſtitia, maturè præuertas & excutias. Tractat hoc idem argumētum S. Baſil. pluribus locis, variaque recenſet peccatorum genera que diſquiramus, cogitationes, verba, euagationem mentis inter orandum, deſiderium vitæ liberioris & comunis; & ait animum auocandum non ſolũm à turpibus, ſed etiam à ludicris & inutilibus imaginibus,
Cùm

Cum ijs quæ feceris pridie conferto, inquit, & cum ijs etiam quæ cogitaueris, cum animi decretis & propositis virtutis. Ex Basilio B. P. Ignatius desumpsit opinor, aut potiùs ab eodem Spiritu sancto edoctus est à quo & Basilius, genus quoddam examinis, quod particulare vocat, ad extirpandum vitium illud in quod præcæteris natura propendemus, quocum præcipuè certamen nobis inueniendum. Quo examine nullum est adiumentum ad omne perfectionis studium, certius, facilius, compendiosius; sed quotidianum esse debet, continuum, accuratum, & exquisitum, seuerum & indefessum. de quo item Bernardus non vno loco, pluribus. Sed claudatur hoc caput vnica eius appositâ sententiâ, quæ non magis Carthusiæ quàm cuique Sodalitatis & Deiparæ cultori, non Religioso magis homini quàm sæculari ac communem agentem vitam apprime conueniat. Discito tibi præesse, & vitam ordinare, mores componere, te ipsum iudicare, & remet apud temetipsum accusare, sæpè etiam condemnare, nec impuni-

*Serm. 68.
in Cant.
ad Fratres
de monte
Dei.*

nitum dimittere: sedeat iudicans iustitia, stet rea & semetipsam accusans conscientia: nemo te plus diligit, nemo fidelius iudicabit. manè, præteritæ noctis fac à temetipso exactionem, & venturæ diei tu tibi indicito canonem. vespere, præteritæ diei rationem exige, & superuenientis noctis fac indictionem. Sic districto, nunquam aliunde lasciuire vacabit, dum ille dies vltimus affulgeat qui nos beatæ transcribat æternitati.

CAPVT XII.

*De deuotione seu oblatione sui met Dei-
paræ Patronæ præstanda.*

Vulgari consuetudine loquendi, deuotio sumitur pro immissa cælitus suauitate, consolatione, lætitia, sensu & gustu rerum spiritualium, quo vehemētius inflammatur affectus, vt facilè ac iucundè virtutis opera fiant. In Theologicis tamen scholis, ab ea suauitate quæ maximè redundat in corpus, seiungitur deuotio, & à S. Thoma definitur, Prompta voluntas exequēdi quæ ad diuinum cul-